



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Mahumetanorum sectam omni ratione carere, Commentatiu[n]cula lectu
dignissima, Hieronymo Sauonarola autore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

ORIGINE ET IMPIETATE.

secta expugnare uellet, inter se quoque dissiderent, Muchaletum Turcam ex Scythia accersit: a quo postea Persidis imperio exutus fuit. Hinc Turca quaquaversus praevalentes, etiam Aegypto potiti sunt per Syracinum, qui Calyptham interfecit, Almerici regis Hierosolymitani tempore: Sultanusque appellatus est, cui Saladinus successit. Verum Saraceni ex Asia pulsi, alij alia loca petiere. In Africam transgressi, apud Carthaginem regiam constituerunt: inde in Sicilia, Sardiniamque, ac nonnullas Tyrrheni maris insulas, simul et Baleares inuaserunt. Anno DCCCXXX, duce Miramomelino Hispaniam petiere, quod bellum in eius descriptione commemorauimus. Eodem fere tempore Zulemone duce in Thraciam traicentes, Constantinopolim Leone III. imperante, classe potentissima obsidione triennali cinxerunt: quam relinquere tandem diuinitus coacti sunt, peste maxima fameque consumpti. Anno DCCCLVIII. sedente Leone III. ex Africa soluentes, Sicilia omnem occupauerunt. In Italiam quoque transfretantes, Apulia capta, apud Nuceriam sedem constituerunt multos annos, egressique inde Ostiam usque cursitauerunt. Indeque agrum populati, basilicas etiam apostolorum dicuntur incendisse, quibus Leo cum Romana iuuentute occurrens eos represit. Haud multo post, anno uidelicet DCCCXVII, iterum oram percurrentes, Ioannes X pontifex ad Minturnas nobili praelio fudit. Anno DCCCXXXV, ex Africa soluentes, Sicilia, Sardiniam, Baleares, insulasque, Hetruriae plures occupauerunt: oraque eius omnem, simul et Genuam populati sunt. Ad loca quoque in Adriaticum uergentia penetrantes, Lotario Imp. et Sergio sedente, Anconam adplicuerunt, toto fere Piceni littore occupato: unde apud Crotonem uictores Venetorum classis fuere. Qui uero in Hispania erant, conati in Galliam traicere, ab Eudone Aquitaniae duce contra Francos uocati, a Curolo Martello clade memorabili adflicti, interfectis ex eis prope CCC milibus. Insequentibus deinde temporibus Hispaniae regum, praesertim Ferdinandi nunc regnantis uirtute, ex Europa penitus pulsi sunt: qui quamuis Africae nunc quoque dominantur, uiribus tamen ac uetere belli gloria magno opere ceciderunt. Duplex eorum hodie qui restant, genus in Africa: qui urbes colunt, et Nomades, qui foris armenta pascunt, quotidieque per agros incerta sede uagantur: quorum est praecipua conditio, formidinique urbanis sunt, a quibus et uectigal certum exigunt. Annis ab hinc XXV. Cidianus quidam prophetae nomine inter eos ceperat ad spem gentem profligatam reuocare, opinione uitae uirtutisque: sed breui tempore pereuntis hominis uanitas animaduersa. Saraceni Arabesque omnes lingua utuntur Arabica, et propria, illorum sectae communi, uerum indigenae longe puriore.

MAHUMETANORVM SECTA M OMNI

ratione carere, Commentatiuncula lectu dignissima,

Hieronymo Sauonarola autore.

AT Mahumetani quodammodo inter Iudaeos et Haereticos medij, postremo nobis loco conuincendi supersunt. Nam et Iudaeorum circuncisionem imitantur, et omnium fere haereticorum errores coaceruarunt. Ideo non multo labore haec contra illos pugna conficietur. Si quis enim inter eos uersetur, illorumque mores ac religionem diligenter consideret, legisferique Mahumetis perlegat Alcoranum, quem inuiolabili fide tenendum putant, facile uanitatem rei deprehendet. Omnis namque uera religio aut a naturali, aut a supernaturali lumine proficiscitur. Sed eorum superstio penitus confusa, a neutro horum lumine prouenit. Quis enim uel mediocriter rationis philosophiaeque peritus, tam in speculatiuis quam in practicis, eam religionem facile subuerteret. Cuius autor se literarum omnino ignarum fuisse ostendit. Librum enim suum, quem Alcoranum, id est praceptorum collectionem uocat, adeo insulse ac confuse tradidit, ut a nemine ordinem ullum in eo deprehendi posse existimem: quod praecipuum ignorantiae est atque securitatis signum. Tot praeterea in eo fabulae, totque contra bonos mores imperata uel permissa continentur, quae Philosophi ludibria et nefaria censerent, ut ea irridere satius sit quam refellere. Huiusmodi ergo religio ab ipso lumine naturali, cui contraria est, prouenire non potest. Neque etiam a supernaturali proueniet. Quicquid enim naturali lumine mini aduersatur, ipsi etiam supernaturali contrarium est, ut postea ostendemus. Item quae malo inchoata sunt principio, bonum perraro uel nunquam exitum fortiuntur. Sed haec secta autore gloriatur Mahumete. Quis, sicut certa tradit historia, prorsus irrationabilis, sceleratus, adulter, et populorum praedator fuit.

DE MAHUMETANA SECTAE

fuit. Cuius epileptico, ut fertur, morbo saepe correptus collaberetur, interrogatus cur id ei con-
tingeret, se angeli colloquio tunc frui referebat. Vi autem & gladio, non rationibus instructus, polli-
citationibus primū malaq; arte homines rudes ac impuros sibi ascivit. Quibus paulatim alios in suā
lasciviā fabulosamq; sectam pellexit. Armisq; peruagante licentia, imbellem multitudinem subegit.
Cum ergo origo pessima fuerit, neq; a Deo cepisse, neq; bono potest sine concludi. In Alcorano
item Mahumetes Euangelium uetusq; Testamentum ubiq; probans atq; confirmans, Christū comen-
dat: quem de uirgine natum, prophetamq; uerissimū cōfiteretur. Quid ergo insipientius dici potest,
quam eadem affirmare & negare, nec eam quam probat doctrinam, sed contrariā sequi? Illud au-
tem ridiculum est, quod in erroris sui excusationē affert, dicens Euangelium a uobis esse cum ueteri
Testamento deprauatū. Quod tam facile ac aperte refellitur, quam leuiter temereq; prolatū est. Pro-
certo enim constat, utriusq; Testamenti codices Hebraicis, Graecis, Latinisq; liberis iuxta harū na-
tionum idiomata antiquis monumentis asseruari, & per uniuersum orbem ex ijs complura uolumina
eodem exemplo uarijs tēporibus fideliter esse transcripta, uerustissimisq; nouissima cōfirmari. Quo-
modo ergo in tot exemplaribus, apud diuersas mūdi nationes, uarijs linguis, dissimilibusq; hominum
studijs & ingenijs potuit hęc simul locū habere deprauatio? Imō ex huiusmodi scripturarū consen-
su illius fabulæ ac mendacia, quibus inepte procaciterq; utrumq; Testamentū uitauit, planē depre-
henduntur. Vera in super religio ad bene beateq; uiuendum, & ad cordis puritatem, ueritatisq; con-
templationē est ordinata. Eiusmodi autē secta, terrena tantū sapiens, nulla ueræ beatitudinis men-
tione habita, bestialem quandam uoluptatem uentri consentaneā post presentem uitam pollicetur.
Ne quis uerō eum parabolice locutū existimans, in alium sensum illius uerba accipienda putet, asse-
ueratio totius sermonis ostendit. In quo liberū sibi mentiri putans, nihil in figuris a se traditis inter
tot deliramenta unquā dixit. Huius ergo uanitas religionis per se declaratur. Nil prætere a diuinum
aut mirabile in hac secta, propter quod a Deo existimāda sit, apparet. Nullis enim, quemadmodum
Christiana religio, fulcitur miraculis. Quod ipse Mahumetes attestatur, qui ait, Christo miracu-
lorum uirtutem, quibus potissimē mundū conuerteret, sibi uerō gladij potestatem esse cōcessam, &
ad hoc missum ut per uim ad fidem suam populos cōpellat, perinde ac per tyrannidē uoluptatesq; fiat
acceptabile Deo sacrificiū. Quod autem maximū inter eos habetur, est, ubi pronunciat, Non est
Deus nisi Deus, & Mahumetes nuncius eius. Et saepe repetit Alcoranus, Deus est magnus, & po-
tens: & notissima quædam de Deo, multis postea deturpata fabulis. Quas nec pueri nostri dignare-
tur. Nemo in super inter eos magnarū diuinarumq; rerum autor uel propheta aliquando uisus est:
sed fatuos stultosq; quosdā, per furorem ac insaniam seipsos ferientes, ac debacchantes, tanquā san-
ctos uenerantur, apud quos nulla omnino diuinorum peritia est. Quam stulte etiam Mahumetes
in Alcorano sibimet contradicat, uel ex eo apparet, ubi se nescire fatetur, utrum ipse & sui in uia
sint salutis, nec ne: neminemq; inter mortales haberi, qui Alcoranum intelligat. Nonne is autor de
suadeq; aliorum salute incertus, ac mandata perplexa inscrutabiliaq; proponens, potius lapidibus
obruendus quam imitandus fuit? Cum itaq; nullis rationibus, nullis miraculis, nullaq; uitæ sanctimo-
nia huiusmodi dogma fundatū sit: sequitur, ut omni ex parte sit fugillandū. Quod si disputandi cum
eis daretur locus, facillime uanitatis huius error detegeretur. Sed inscitæ ac prauitatis suæ con-
fiscus Mahumetes, callide mandauit, nō nisi gladio religionē suam tuendam esse. Ut quod ratione &
honestate defendi non poterat, sermo impetu decerneretur. Sed forte obijciat aliquis: Cur fide
Christi iam in toto orbe terrarum propagata, passus est Deus opere Mahumetis, innumeros populos
ab imperio ipsius Christi subduci, & ad alias leges compelli? nec ultricem manum tanto tempore in
eos extendi? sed potius illorum imperium in hunc usq; diem augeri permisit? Si ergo Christus est
Deus, illiq; Mahumetes aduersus, cur se a Mahumete superari passus est? Vera igitur (inquunt Sa-
raceni) fides nostra est, uestra autē falsa. Hoc enim potissimū argumentū aduersus Christianos se
defendunt, quo etiam multi e nostris ita obuoluuntur, ut quid respondeant, prorsus ignorent. At nos
primō respondemus, ex hoc superiora argumenta nostra, quibus Christum Deum & religionem
Christianam ueram esse probauimus, non infirmari, Nam si uita sanctior ea, quam docuit Christus,
inueniri

inueniri non potest: atq; si nemo alius à seculo tot mirabilium & diuinorum patratō operum com-
paruit, quis dubitet hunc cœlitus deum & hominem pro salute humani generis aduenisse, quem ta-
lia ac tanta oracula, signa, gesta, successusq; testantur? Quod si qua in terris religio uera est, nulla
præter Christianā alia dari potest. Quæ profectō Mahumetis legi penitus cessisset, si meliora præ-
cepta ab eo introducta, aut maiora opera fuissent exhibita. Cum autem in eius lege uniuersiq; po-
pulo nil magnificū, nil præclarum, nil singulare editū sit, sed enormia & subsannanda multa con-
spiciantur, nunquid præferendus est Christo, eo quod multos à catholica fide seduxerit, plures
debellauerit, & in malo inualuerit? Cur non pari argumento humani generis subuersor diabolus,
Christo melior dici potest? qui plures multo, quàm Mahumetes, à ueritate detorquet. Cur iustis san-
ctisq; uiris impij & bonorum corruptores, qui plures quàm iusti ad se trahunt, non præponuntur? O
admirabile argumentū, Mahumetem Christo præponi, quia rudes & eneruatos populos ipsius frau-
dibus & pollicitationibus, minis insuper & gladio, à fide Christi sanctissima subductos, ad uolupta-
tem peruersosq; mores induxerit. Sanè operæ precium est in malitia gloriari. Haud talia nostra sunt
argumenta. Non his religio nostra nititur fundamentis. Quid uero mirum est, si pauciores Chri-
stum sequantur, iubentem benefacere, & mala pati, & propter inuisibilia omnibus mundi blanditijs
abstinere, duraq; omnia acerbisq; potius eligere, quàm modestiam, continentiam, iusticiam, pieta-
tem, fidemq; maculare? Quod si illorum ualida esset ratio, omnis philosophia confundi posset, dum
bonum malum, uerum falsum, ac lucem deniq; ipsam tenebras existimare appellareq; liceret. Pauci
enim philosophorum ueritatem uerumq; bonum sequuntur. Ideoq; rari inter eos uiri integri ex-
titerunt. Si ergo uitam ex numero commendemus, certè bonum quod à perpaucis obseruari con-
sueuit, malum potius, multorū autem errorem bonū esse dicemus. Quod cum absurdum sit, constat
ab ipso Mahumete non ideo Christum esse superatum, quod diuina iustitia permittente multos lasciu-
iuenti licentia armisq; subegit: quemadmodum etiam diabolo ac prauis hominibus assidue incautos
& inertes simplicesq; & innocentes circumuenire & opprimere permissum est. Nam si Christus
cum adhuc eius nomen ignotum esset, & nouitate ignominiosæ mortis inuidita omnibus fugiendus,
& nihili pendendus uideretur, contra uniuersum mundum præualuit: quid modò, si uellet, post eius
ubiq; gloriam celebratam, receptamq; efficere possit? Nonne facilius nunc quàm ab initio Christia-
ni nominis palma consurgeret? Sed hæc omnia ipso sciente ac permittente, quemadmodum etiam ab
ipso prænunciata sunt, in ultionem scelerum euenerunt. Scriptum est enim: Multi sunt uocati, pauci
uero electi. Ecclesiāq; sepe numero aucta & diminuta est. Liberum enim ad uirtutes & ad uitia no-
bis Deus dedit arbitrium, nec ab ipso deo in alterutram partem coguntur homines. Neq; enim stan-
te natura cogi possunt: alioquin neq; merito, neq; de merito locus esset, si libertas cessaret. Deus au-
tem præmijs tantum homines attrahens, & pœnis à malo deterrens, non semel cōcessæ naturæ uio-
lator, sed conseruator existit. Delinquentibus itaq; uarias pœnas cōminatus, primam statuit, nisi citò
resipisceret, mentis excæcationem. Vnde in persona Christi & iustorum omnium contra impios lo-
quitur Dauid: Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum eorū semper incurua. Et ad Esaiam
ait Dominus: Vade excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne quan-
do uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.
Sic & incredulis Iudæis, qui cedere primi debuerant cordis obstinatione Euangelio, sæpius & euer-
sio Hierusalem, eorumq; captiuitas usque in finem mundi duratura, prænunciata est.

Item multos à fide catholica defectors, paucosq; saluandos legimus. Vbi in ipso Euangelio de
nouissimis diebus loquitur Dominus: Quia enim abundabit iniquitas, refrigescet (inquit) charitas
multorū. Et alibi: Cum uenerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Et Apostolus eius Pau-
lus ad Timotheū scribit: Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis tēporibus discedet quidā à fide,
attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Deniq;
si Euangelicā doctrinam reuoluamus, hæc omnia à Christo prænunciata, & ipso permittente sub-
sequuta esse comperiemus. Male uiuentes enim suo priuat lumine, ac in cæcitate relinquit. Quemad-
modū ergo Iudeos propter ipsorū superbiam pertinaciamq; ita & Mahumetanos, aliosq; à fide contu-
maces

DE MACHVMET. SECTAE ERRORIB.

maces propter scelera puniuit. Nulla enim poena grauior infligit potest, quam ueri luminis rectaeque uita priuatio: propter quam certa damnationis aeternae uia praecipitum ducit. Nam prout superius declarauimus, extra fidem Christi nulla rectitudo, nullaque salus, sed error ac perditio est. At forte dices, Cur pro patribus filij poenas luunt? Si enim prisci Iudaei ac Mahumetani peccauerunt, cur in filios & nepotes eorumque posteros huiusmodi poena deuoluta est? Respondemus itaque, eam esse Christianae fidei ubique terrarum manifestationem, & miraculorum famam, ut nemo se excusare possit, quin ei ueritatis inquirendae cognoscendaeque facultas oblata sit: quam si neglexerit, ipsi impuetur. Neque enim in parentum reatu ueniret ultio, nisi idem crimen sequeretur. At si iuxta rationem naturalem uita saltem componeret, ab ipso Deo, qui in necessarijs nemini deest, sed semper est praesto, proculdubio illustraretur. Id quod iam satis supra ostendimus. Quaequam occulta insuper Dei iudicia plurima sunt, quae ab hominibus inuestigari non possunt. Propterea ait Apostolus: Conclussit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. Moxque inscrutabilem & profundissimam diuinae maiestatis abyssum expauescens, exclamat: O altitudo diuitiarum, sapientiae & scientiae Dei, quam incoprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiae eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Illud tamen sciendum est, quod sicut Dominus noster IESVS CHRISTVS futura haec mala praenunciavit: ita Ecclesiae quoque suae in stabili petra fundatae, nunquam defuturum attestatus est dicens: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Sicut ergo quae is praenunciavit, ad hunc usque diem omnia euenerunt, inter quae multorum a fide cernitur defectio: ita credimus, Ecclesiam in aeternum permansuram. Tam solida enim habet fundamenta, ut putare nefas sit ea posse subuerri. Quinimodo ubi ultrix ira Dei in pessimos Christianos, caeterosque infideles completa fuerit, Ecclesiam illum suam renouaturam, atque uniuersum terrarum orbem ad se conuersurum esse confidimus, ut fiat unum ouile & unus pastor. Quod non procul abhinc omnino fore speramus. Atque ita per uarias temporum uices nunc prosperere, nunc aduersae nauigans Petri nauicula perseverabit, donec ueniat dies Domini magnus: in quo manifesta erunt abscondita tenebrarum, iustissimaeque Dei iudicia tum demum cognoscuntur. Nunc autem quod ad peruersitatem Mahumetis pertinet, satis dictum est: postquam neque diuinis neque humanis rationibus se tueri potest, sed sola ui atque irrationabili impetu fertur. Cumque nullum uolentium possit esse perpetuum, quanto magis aucta est, tanto maiore corruet lapsu. Cuius sane ruina seductis ab eo populis comperta ueritate fiet in salutem.